

II. In lege naturali non datur propriè epikia, sed simplex interpretatio, declarans casum aliquem non comprehendi sub lege naturali; nam lex naturalis semper est circa conformia vel difformia rationi; ergò emendari non potest per epikiam. Sic non esse reddendum depositum hosti Reipublicæ, licitè occidi posse innocentem, dum Deus id imperat etc., simplex ostendit interpretatio, quòd scil. jus naturale ad hos casus se non extendat: si tamèn aalem interpretationem vis nominare epikiam, lis erit de nomine.

III. Epikia regulariter non habet locum in legibus irritantibus. Ità com; nam rigor talium legum plurimùm conducit ad bonum Reipubl. Et ideò tempore pestis, vel belli, vel alio casu, quo non potest haberi parochus cum testibus, validè non contrahetur matrimonium in locis, ubi Trid. viget. Cetera de legibus, uti et de ignorantia juris et facti, supplenda erunt ex jure civili.

### TITULUS III.

#### DE RESCRIPTIS. <sup>a</sup>

42. Nota I. Rescriptum quoad nomen esse *responsum scriptum*: at quoad rem, *rescriptum* propriè et strictè acceptum, est: Responsum Principis in scripto datum ad alicujus supplicationem, vel relationem, vel consultationem circa jus intelligendum (l. 1 §. 1 ff. de Const. Prin. l. 2 et fin. C. de LL.); aliter vocatur *epistola* (cit. l. 1), et in jure Canon. *epistola decretalis*. Et differt ab *oraculo*, quia hoc viva voce; ab *edicto*, quia hoc motu proprio; rescriptum verò ad præviam supplicationem datur. In præsentì *rescriptum* accipitur latius, prout est quodcumque Principis responsum in scripto datum, sive jus et justitiam, sive beneficium et gratiam concernat.

Nota II. Rescriptum hoc ultimo modo acceptum dividi:—1.º in *generale*, et *speciale*. *Generale* est, quod datur pro omnibus subditis, et cons. instar constitutionis facit jus commune, (l. fin. §. 1. C. de LL.) *Speciale* est, quod datur uni vel alteri, et hoc regulariter facit jus solùm inter partes (l. 2. eod.); nisi Princeps rescripta specialia expressè velit observari instar juris communis, uti plurima sunt in jure canon. et codice Justiniani.—2.º In rescriptum *juata*, *contra*, et *præter jus*. *Juxta jus* est, quod Princeps conformiter juri communi concedit. *Contra jus* est, quo Princeps aliquid contra communem juris dispositionem facit, ut dispensando, privilegia largiendo etc. *Præter jus* est, quo Princeps concedit ea, quæ jure non sunt decisa.—3.º Præcipua divisio est in *rescriptum gratiæ*, quo præter, aut contra jus commune supplicanti gratia conceditur; et *rescriptum justitiæ*,

<sup>a</sup>—De hac materia agitur in 6 et Clement. h. t.—In Decreto d. 97 et 25 q. 1 2 per tot.—Trid. sess. 22 c. 5. 6 et sess. 23 c. 10 de ref.—In Pandectis l. 1 §. 1 ff. de Const. Princ.—Codice lib. 1 tit. 19 usque ad 23.

seu *ad lites*, quod datur ad judicia, et justitiam administrandam: v. g. delegando judicem, præscribendo specialem modum procedendi etc. His aliqui addunt mixtum ex utroque. Ceteræ rescriptorum species ex vocibus innotescent, uti sunt *Eccllesiastica*, *Papalia*, *Politica*, *imperialia*, *exequutoria*, *moratoria*, seu *dilatoria* debiti solvendi etc. De rescriptis circa dispensationes matrimoniales lib. 4. agitur, et ideò succinetè materiam istam pertractaturi agemus:

1.º De causis: 2.º de vitiis: 3.º de præsentatione, exequutione et expiratione rescriptorum.

### §. I.

#### De causis rescriptorum.

43. Q. I. Quis, cui et super qua re concedere possit rescriptum?

R. 1.º Princeps, Ecclesiasticus vel laicus, (toto h. t. et tit. C. de precibus Imp. off. et tit. C. de divers. rescr.) Ceteri inferiores, quique secundùm limites suæ potestatis, aliqua rescripta dare possunt.

2.º Rescriptum dari potest cuicumque subdito, sive actori, sive reo, mari vel femi næ, in quacumque causa, et contra quemcumque subditum, modò aliquid ex his specialiter non prohibeatur: nam hæc omnia sunt de genere permissorum; ergò concessa videntur, si non reperiantur specialiter prohibita.

3.º Impetrare rescriptum prohibentur: 1.º *Servi*, exceptis causis atrocibus, (l. 1. C. de precib.)—2.º *Falsus*, aut revocatus procurator (c. 33 h. t.)—3.º *Hæreticus* (l. 2. C. de Sum. Trin.)—4.º *Excommunicatus*, saltèm Papale rescriptum obtinere nequit, nisi in causa suæ excommunicationis (c. 1. h. t. in 6.)—5.º Propter periculum fraudum alius pro alio rescriptum justitiæ validè non impetrat (c. 28. 33. h. t. l. 24. C. de procurat.), benè verò rescriptum gratiæ (l. 6. de precib et c. 24 de Præb.); quia gratia, etiam absenti et ignorantem conferri potest, modò collationem acceptet, vel ab alio acceptatam ratam habeat.

44. Q. II. In quo consistat forma rescripti?

R. In legitima ejus expeditione, seu solemnitatibus de jure et stilo Curia Romanæ requisitis. Cujusmodi sunt:—1.º ut præmisso nomine Principis rescribentis, ponatur *narratio* seu *corpus signaturæ*, tanquàm prima pars, in qua exprimitur relatio eorum, quæ et ex qua causa à supplicante petuntur:—2.º ut subdatur *dispositiva*, seu *conclusio*, tanquàm altera pars, in qua Princeps mentem suam aperit quid, qualiter, et sub quibus conditionibus concedat, adjecto anno Incarnationis Christi, Pontificatus, vel Imperii, et indictionis (olim consultatus) mense, die et loco: (l. 4. C. de divers. rescr. c. 7. h. t.)—3.º In ipso contextu Papa Episcopos vocat *fratres*, alios verò fideles *filios*; et uni rescribens non utitur numero plurali: *vos*, *vestra*,

sed singulari. (c. 6. de crim. fals.)—4.º Tùm rescriptum Papale in plena scriptura confectum, si gratiæ est, bullatur filo serico rubro et croceo; si justitiæ, filo cannabino, de quo plumbum pendet. Plura de his vide apud Card. de Luca, Navar. Corrad. ex quibus illud notandum, quod annutus Papæ, qui fit in signatura per verbum *fiat* vel *conceditur* quoad rescripta gratiæ, vel per *placet* quoad rescripta justitiæ, non significet gratiam completè, sed inchoatè factam, donèc rescriptum in plenam scripturam redigatur: imò hodie rescripta gratiarum plerùmque non continent gratiam factam, sed faciendam, seu mandatum ut exequutor causa cognita gratiam faciat.

## §. II.

## De vitiosis et invalidis rescriptis.

45. Nota. Vitia rescriptorum alia esse *extrinseca*, alia *intrinseca*. *Extrinsecum* est defectus formæ, seu solemnitatis substantialis in rescripto non servatæ. *Intrinsecum* est defectus commissus in ipsa petitione, vel causa, vel in modo dispositivæ, atque ita ipsam concessionem inficit. Talia vitia sunt præcipua duo: *Obreptio*, seu expressio falsi, et *Subreptio*, seu reticentia veri. Quod utrumque fieri potest: vel dolo, dum scienter allegatur falsum aut reticetur verum, vel per ignorantiam aut simplicitatem (c. 20. h. t.) Cum verò obreptio et subreptio in effectu non differant, frequenter in jure et usu promiscuè sumuntur, et ideo quod hic de uno dicitur, etiam de altero erit intelligendum.

46. Q. I. *Quandò rescripta sint invalida ab extrinseco?*

R. 1.º Si aliquid omissum est ex forma substantiali, v. g. nomen Pontificis, *data* etc., nam de stylo Curia simile rescriptum habetur pro nullo. 2.º Si rasura, vel cancellatio sit, præsertim in loco substantiali, vel vitium, aut fractura in sigillo. (l. 6. de fide instr.)—3.º Si reperiat error crassus contra grammaticam, (c. 11. h. t.) Orthographia tamen propria est Curia per certas contractiones; et diphthongi per unam litteram scribuntur.

47. Q. II. *Quandò rescripta sint invalida ab intrinseco?*

R. 1.º Generaliter, si quid necessarium non est expressum, vel si quid falsum allegatum. Undè:—I. Invalidum est rescriptum datum contra jus commune, vel statutarium, vel consuetudinarium, vel contra jus et privilegium tertii, nisi horum mentio fiat. (c. 19. h. t. et c. 1. de const. in 6.)—II. Rescriptum *secundum*, in quo non fit mentio prioris, nisi alterum esset speciale, et prius generale. (c. 1. 3. h. t.); quia generi per speciem derogatur.—III. Rescriptum prohibens cognitionem causæ et veritatis precum (c. 2. h. t.), quia in omni rescripto, saltè Papali, tacitè intelligitur illa clausula: *si ita est, si preces veritate nitantur*. ibid.

2.º Specialiter rescriptum justitiæ est invalidum:—I. in quo dantur in-

certi iudices ad arbitrium oratoris eligendi (c. 10. h. t.)—II. Vi cujus vocari deberet reus extra suam dioccesim ultra duas dietas, hoc est, iter bi-dui (c. 28. h. t.), imò jure recentiori ultra unam dietam (c. 11. §. cum vero h. t. in 6.), nisi id specialiter exprimat. —III. In quo non fit mentio litis pendentis, sententiæ, appellationis, transactionis, vel alterius compositionis in eadem causa, (c. 12. h. t. c. 3. de confr. util. Si in rescripto ponatur *et quidam alii* vel *res aliæ*, vi hujus clausulæ non veniunt personæ digniores, nec plures quam duæ vel tres, nec causæ graviores expressis, sed similes, vel his minores (c. 15. h. t.)

In decreto Innocentii XII. Ut occurratur (4. Junii 1692. relato in ejus Bullario) statuitur, ut si quis.... Preces, sive supplices libellos in materia gratiæ et justitiæ alicui ex sacris Congregationibus urbis, quomodolibet obtulerit seu præsentaverit, ita ut ab eadem Sacra Congregat. vel in totum, vel in parte fuerint rejectæ, aut aliàs ipsa Sacra Congregatio mediante præfata præsentatione precum præventa, manus quomodocumque desuper apposuerit, nequeat ullo modo idem negotium, causam, vel petitionem ad alteram ex Sacris Congregationibus, etiam mediante rescripto Sanctitatis suæ (quod in hoc casu importunè et subreptitiè Sanctitas sua censi voluit extortum) sub quovis prætextu, causa, vel quæsito colore, etiam simplicitatis et ignorantia, deferre, vel aliàs primam Congregationem spontè à principio aditam declinare: aliàs rescripta, decreta quæcumque, indulta, gratiæ, literæ, resolutiones, vel provisiones à secunda, sive altera Congregatione impetrata, vel impetranda, necnon litteræ Apostolicæ, quas illorum, vel illarum vigore desuper expedire contingeret, haberi debeant omninò pro subreptitiè extortis, nulliusque penitus sint roboris vel momenti, nec ullatenus in judicio, vel extrà suffragari possint et valeant, perinde ac si numquam emanassent.

3.º Specialiter rescriptum beneficiale est invalidum:—I. Si prioris beneficii, etiam modici, mentionem non faciat (c. 17. 42. h. t. c. 23. de Præb. in 6.)—II. Si qualitatem beneficii non exprimat, an sit curatum, an electivum, patronatum, an dignitas, (c. 8. h. t. c. 4. 5. 16. de Præb. in 6.)—III. Itè si non exprimat defectus ætatis: nam certius est beneficium curatum non posse obtineri ab eo, qui tempore *data* ætatem legitimam non habuit, licèt eam attigerit tempore præsentatæ (c. 9. h. t. in 6.), juxta quod explicari debet c. 29. de Præb. in 6.—IV. Itè si non exprimat modus vacationis, an per mortem, vel resignationem vacet beneficium, an quis in illo titulum coloratum, possessionem, vel detentionem habeat, et plura similia expressa h. t. in 6. et tit. de Præb. eod.

48. Q. III. *An rescriptum ob vel subreptitiè dolosè impetratum sit ipso jure nullum?*

R. 1.º Affirmativè, quoad rescriptum gratiæ; nam c. 31. h. t. litteræ beneficiales dolo impetratæ dicuntur non valere, et c. 8. eod. vires non obtinere.—2.º Affirmativè, etiam quoad rescriptum justitiæ, Gonzal. cum com. contra Gloss. in c. 31. h. t. Menoch. Zoz. et paucos docentes rescripta justitiæ dolo obtenta, non esse ipso jure nulla, sed annullanda ope exceptionis.—Prob. ex c. 15. h. t. ibi. *Mendax precator penitus careat impetratis*.

quia *fraus et dolus ei patrocinari non debent*. Idem statuitur c. 46. et clarè in c. 20. eod. ibi: *In sua perversitatis pœnam nullum ex illis litteris commodum consequatur, ita videlicet, quod delegatus nullatenus de causa cognoscat; sed si litteræ justitiæ ipso jure valerent, non opposita exceptione ob vel subreptionis, delegatus posset in causa procedere, saltè altera parte consentiente; ergò. Quod verum est, sive Papa, cognita veritate, fuisset, sive non fuisset concessurus litteras (cit. c. 20.), quia nullitas litterarum est in pœnam perversè petentium. Et contra hæc jura clara non procedunt paritates ex c. 9. et 23. h. t. l. 36. ff. de V. O. l. 5. C. de inut. stip.*

*Dices:* Delegatus non habet jurisdictionem nisi ex rescripto; sed delegatus vi talis rescripti potest exercere jurisdictionem cognoscendo, c. 20. h. t. ibi: *de precum qualitate cognoscat; ergò.*—R. D. M. non habet in causa, et negotio principali. C. M. in causa prævia doli et veritatis precum, N. M. Nam ex rescripto valido delegatus accipit jurisdictionem ad cognoscendam causam principalem in litteris expressam, et hanc in nostro casu cognoscere non potest per cit. c. 20. h. t. et l. 5. et fin. C. si contra jus. At ad cognoscendam causam doli et veritatis precum, generaliter à jure communi datur jurisdictione cuicumque delegato per cit. c. 20. et c. 2. h. t. l. 4. C. si contra jus, quo sensu commodissimè explicantur l. 1. 2. 4. C. eod., ut scil. judex cognoscat de omni negotio circa dolum et preces, non verò circa causam principalem. (cit. l. 5. eod.) Cetera jura procedunt in casu, quo subreptio accidit ex simplicitate aut ignorantia, ut c. 6. de consang. c. 9. et 23. h. t.

49. Q. IV. *An rescripta ob vel subreptitia, per simplicitatem, vel ignorantiam impetrata, valeant?*

R. Non valere, si Papa, cognita veritate, non fuisset concessurus litteras (c. 2. 49. et 20. h. t.); nam concessio non pendet ab errore aut simplicitate petentis, sed à concedentis intentione, quæ in hoc casu deficit.—2.º Si cognita veritate, Papa concessisset litteras, valet rescriptum justitiæ saltè in forma communi, (c. 20. h. t. ibi: *inter alios etc.*); nam tali casu, cum adsit consensus saltè legalis Papæ, rescriptum non vitiat in puncto substantiali, scil. in jurisdictione data delegato, sed solum in puncto accessorio quoad specialem modum procedendi, v. g. de plano, remota appellatione etc.; ergò valet rescriptum, et vi hujus delegatus, ommissa forma speciali, procedet secundum formam communem et ordinem juris.—3.º Si cognita veritate, Papa concessisset litteras, attento jure communi, probabile est valere rescriptum gratiæ, excepta gratia beneficii (per c. 23. de Præb. in 6.); nam c. 20. h. t. à principio generaliter loquitur, neque restringitur per exemplum allatum de materia justitiæ; tum quia simplicitati et ignorantia indulgendum est (canon. 3. de Consecr. d. 2.; c. 2. in fin. de Traslato.) Quia verò modernus stylus Curia dicitur stare in oppositum, ita ut etiam error in nomine vitiet gratiæ concessionem, opposita sententiâ tanquam tutior in praxi tenenda est: Corrad. Vinc. de Just. et alii, maximè in dispensationibus matrimonialibus.

50. Q. V. *Quid sit causa finalis et impulsiva, et quæ sufficiat ad impetrandas litteras?*

R. 1.º *Causa finalis, seu motiva est illa, qua Princeps inductus ordinariè solet concedere gratiam. Impulsiva est, quæ de se ordinariè non sufficit, adjuvat tamen causam motivam ad impetrationem gratiæ. Sic paupertas est causa sufficiens, doctrina verò, aut nobilitas plerumque est causa impulsiva ad conferendum beneficium Clerico. Porro tunc Papa dicitur concessurus fuisse gratiam, dum talis est gratia, quæ de jure aut stylo Curiaè facilè concedi solet, etiam ob causam leviolem; si verò sine gravi causa concedi non solet, deficiente causæ veritate, præsumitur in contrarium, quod Papa non fuisset concessurus gratiam; v. g. dispensavit in secundo gradu consanguinitatis ex causa conceptæ prolis, hac causa deficiente, invalida est dispensatio, etsi aliæ minores causæ allatæ fuerint.*

2.º *Si allegatæ sunt duæ causæ finales, una vera, altera falsa, quarum alterutra de jure, aut stylo Curiaè sufficeret ad impetrationem gratiæ, validum est rescriptum. Ita colligitur c. 6. de consang., ubi causa scandali subsistente, valet dispensatio in gradu consanguinitatis, licet altera causa susceptæ prolis, quæ jam mortua fuit, falsa fuerit. Idem dic, si sola causa impulsiva fuit falsa, et finalis vera (c. 14. de conver. conj.); nam copulativa duarum finalium resolvitur in disjunctivam (arg. l. 53. ff. de V. S.), in qua sufficit alterum verificari (reg. 70. in 6.); copulativa verò causæ finalis et impulsivæ stat pro principaliori, cum impulsiva non moveat ad concedendum rescriptum. Ex hoc solvitur c. 2. 4. 25. h. t. c. 23. de Præb. in 6. c. 27. 31. 37. 42. hoc tit; in his enim dicuntur rescripta non valere, quia ommissa sunt ea, quæ necessariò erant exprimenda.*

### §. III.

#### De rescriptorum præsentatione, executione et expiratione.

51. Q. I. *An rescripta præsentanda sint exequutoribus, et quibus?*

R. 1.º *Affirmativè ex toto h. tit.; nam exequutores cognoscere debent, an preces veritate nitantur, et rescriptum suis qualitatibus sit legitime instructum.*

2.º *Exequutores rescriptorum papalium, quæ ad sui executionem jurisdictione externa indigent, sunt personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, ut Episcopi, eorum officiales, seu Vicarii Generales, Archidiaconi, si secundum jus habeant jurisdictionem in foro externo, Prælati regulares etiam locales, cum externa jurisdictione polleant; item personatus et canonici Ecclesiæ cathedralis, et ex privilegio Proto-Notarii Apostolici honorarii (c. 11. h. t. in 6.); nam Sedes Apostolica ob suam eminentiam requirit iudices idoneos, quam idoneitatem capit ex dignitate personarum, vel speciali qualitate, uti est personatus et canonici*

catus Ecclesiae cathedralis. Econtra, canonici Ecclesiae collegiatæ, decani rurales seu foranei, et parochi non possunt esse delegati Apostolici, quia in foro externo nullam jurisdictionem habent, nisi hoc eis Papa *ex certa scientia* committat.—Exequutio rescriptorum papalium, quæ ad causæ cognitionem et sui expeditionem non indigeat jurisdictione externa, regulariter committitur doctoribus Sac. Theologiæ aut SS. Canonum; item confessariis regularibus privilegiatis. Ità ex stylo Curiae. In ipsa autem exequutione rescriptum examinari debet ab Ordinariis, seu commissariis datis, an preces veritate nitantur, an causa subsistat, et servari ea omnia, quæ in parte dispositiva scribuntur.

52. Q. II. *Quale tempus attendatur in ordine ad valorem rescripti?*

R. 1.º Tempus *datæ*, seu diei, mensis et anni appositi (*c. 19 h. t. c. 7 eod. in 6. Clem. fn. h. t.*); nam valor rescripti sive justitiæ, sive gratiæ circa causas in eo comprehensas colligi debet ex eo tempore, quo rescriptum datum est. Undè non prodest habilitas superveniens, vel causa emergens primò post datum rescriptum.—2.º In ordine ad effectum, in rescriptis justitiæ attenditur tempus *præsentatæ* (*c. 12 de appell. c. 4 de restit. spoliat.*); nam jurisdictione non cessat, nisi visis litteris delegati, et jurisdictione delegati non expirat, nisi præsententur ei litteræ revocatoriæ. At in rescriptis gratiæ, etiam quoad effectum attenditur tempus *datæ*, non *præsentatæ* (*c. 7. 30. 38. h. t. c. 9 eod. in 6.*); quia gratia facta attendi debet ex parte conferentis, non exequentis. Undè, ceteris paribus, in gratia præferendus est, qui priorem *datam* habet, licet posterius litteras præsentaverit.—3.º In concursu plurium rescriptorum speciale præfertur generali, licet ejus mentionem non faciat (*c. 1 h. t.*); si utrumque speciale, vel utrumque generale est, præfertur posterius, si prioris mentionem faciat (*c. 3 h. t.*), quia posteriora derogant prioribus; si verò prioris mentionem non faciat, regulariter præfertur prius in *data*; *ibid.*—4.º De novo stylo Curiae Rom. in rescriptis dispensatoriis quibus non datur gratia facta, sed *facienda* per exequentem, veritas causæ attendi debet, non tempore mandati Romæ expediti, sed tempore exequutionis, ut tunc causa sit vera, dum exequutor actu dispensat. Corr. Reiff. lib. 4 in Append.

53. Q. III. *Quamdiù rescripta durent?*

R. 1.º Rescripta tam gratiæ, quam justitiæ de se sunt perpetua (*c. 9 de off. deleg. l. 2 C. de divers. rescr.*) Undè, si in eis non est præfixum tempus præsentandi, possunt præsentari quocumque tempore, quo gratia obtineri potest, vel jus agendi aut excipiendi durat. Excipe casum, quo orator per annum non est usus rescripto justitiæ, et interim in eadem causa impetratum est aliud rescriptum; tunc enim in pœnam negligentiae privatur commodo illius, etsi in posteriori rescripto non fiat mentio prioris (*c. 23 h. t.*)—2.º Rescripta justitiæ expirant cum concedente, si is, re adhuc integra, moriatur (*c. 20 de off. deleg.*); at rescripta gratiæ factæ manent perpetua, quia juxta *reg. 46 in 6. decet concessum à Principe beneficium esse mansurum*. Si tamen esset gratia *facienda*, re integra, expiraret cum concedente, (*c. 36 de præb. in 6.*), ubi ponitur casus gratiæ factæ et faciendæ.—3.º Clausula: *usque ad beneplacitum nostrum*, vel *quamdiù voluero*, indicat gratiam temporaneam,

quæ cum concedente extinguitur, quia post mortem nulla est ejus voluntas. Econtra clausula: *usque ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, donèc revocavero, aliter providero*, indicat gratiam perpetuam, quia Sedes Apost. non moritur, et revocatio positiva, vel alia provisio non sequitur, ut supponitur. Clausula: *motu proprio*, licet non sanet vitium obreptionis, purgat tamen regulariter vitium subreptionis, nisi reticentia veri sit contra jus tertii, vel supprimat inhabilitatem, aut qualitatem intrinsecam beneficio, ut quod sit curatum etc. Aliàs clausula vide in Barb.

Regulæ pro interpretatione rescriptorum proportionaliter sunt eadem, quæ pro interpretatione legum: et quidè rescripta ad lites, odiosa et beneficialia, utpotè ambitiosa, strictè interpretanda sunt, ut minimè contrariantur juri communi, et juri quæsito tertii (*cap. 18 hoc. tit.*); merè autem favorabilia latam habent interpretationem.

## TITULUS IV.

### DE CONSUETUDINE. <sup>a</sup>

84. Nota I. Consuetudinem dupliciter spectari: 1.º *inchoative*, seu *casualiter* pro actibus frequentibus, et sic dicitur *consuetudo facti*, seu *in fieri*;—2.º *complete*, seu *formaliter* pro jure ex actibus frequentatis introducto, et sic dicitur *consuetudo juris*, seu *in facto esse*: quo sensu definitur, quòd sit *Jus diuturnis moribus et tacito populi consensu introductum* (*l. 32 ff. de LL. Can. 5 d. 1.*) Hæc definitio ex Jcto. desumpta, potissimum servit pro statu democratico populi Romani, alioquin in statu aristocratico, vel monarchico, ad consuetudinem requiritur tacitus consensus optimatum, vel Principis, quia consuetudo tanquam jus dari nequit sine placito ejus, in quo residet summa potestas.

Nota II. Consuetudinem differre à *lege*, quia hæc expressa voluntate legislatoris fertur, consuetudo tacita; à *stylo Curiae*, ut includens ab incluso, quia stylus Curiae est particularis consuetudo; à *præscriptione*, quia hæc fit à privatis bona fide, et jus solum privatum, non legale parit; consuetudo autem fit à tota communitate, quandoque mala fide, et jus legale introducit; à *traditione*, quia hæc non oritur à populo inductivè, sed vel à Christo, vel Apostolis, vel Patribus de ore ad os posteris communicatur.

Nota III. Consuetudinem, præter divisiones etiam legi communes, specialiter dividi:—4.º in *generalissimam* pro integris gentibus, uti est jus gentium, *generalem* pro toto regno, *specialem* pro tota civitate vel pago, et

<sup>a</sup>—De hac materia agitur in Sexto, et Extrav. com. *h. t.*—In Decreto *can. 2 4 5. d. 1 et c. 3. 5. in fn. d. 4 et d. 8. 11. 12. per tot.*—In Trid. *S. 21. c. 2. S. 22. c. 3 S. 23. c. 1. S. 24. c. 12 de refor.*—In Pandectis *lib. 1. tit. 3. l. 32 et seqq.*—In Codice *lib. 8. tit. 53.*



in futurum; ergo saltem talis lex, utpotè resistens, abrogari nequit per consuetudinem.

R. Ad 1.<sup>m</sup> Jura ista reprobant consuetudines debitis requisitis destitutas, ut quia sunt irrationabiles, nutritivæ peccati, legitimo tempore non præscriptæ, de quibus infra.—Ad 2.<sup>m</sup> Licet lex ista, stantibus circumstantiis ob quas consuetudo adversa legi prohibetur, non possit abrogari per consuetudinem, poterit tamèn in eo casu, quo mutatis circumstantiis, materia cohonestari potest in contrarium, cum eo casu etiam Legislator rationabiliter legem abrogare posset.

58. IV. *Quæ sit vis, et effectus consuetudinis immemorialis, seu cujus iniliti memoria non extat inter homines?*

R. 1.<sup>o</sup> Per eam acquiri possunt ea omnia, quæ privilegio et indulto principis concedi solent: nam talis consuetudo æquiparatur privilegio principis, et habetur loco tituli legitime constituti et probati. Ita Innoc. et alii com. Excipe consuetudinem contra immunitatem ecclesiasticam, cui jus perpetuo resistit, et const. Urb. VIII. *Romanus Pontifex*; et casum, quo quis sine privilegio non est capax possidendi, sicut laici jus decimandi, eligendi, in beneficiis confirmandi etc.—2.<sup>o</sup> Consuetudini immemoriali non derogatur per clausulam generalem: *non obstante quacumque consuetudine*, nisi illius specialis mentio fiat: tum quia talis consuetudo est speciali nota digna; tum quia pro illa præsumitur justus titulus, quo melior de toto mundo allegari non potest.

59. Q. V. *Quæ consuetudines, seu potius corruptelæ à jure reprobentur?*

R. 1.<sup>o</sup> Quæ juri naturali et divino, prophetis et apostolicis doctrinis contrariantur (*c. fin. h. t. Canon. fin. d. 8.*), uti sunt multi abusus gentilium, pharisæorum et hæreticorum.—2.<sup>o</sup> Consuetudo nutritiva peccati, ut illa *c. 10. h. t.*—3.<sup>o</sup> Consuetudo judicandi causas ecclesiasticas à populo, confirmandi baptizatos à simplici presbytero, non servandi interdicta, deferendi beneficia sine licentia Superioris, vel administrandi sine prævia confirmatione (*c. 3. 4. 5. 7. h. t.*)—4.<sup>o</sup> Consuetudo eligendi prælatos ecclesiasticos à populo (*c. 56. de elect.*)—5.<sup>o</sup> Deniquè reprobantur consuetudines, quæ gravant Ecclesias, lædunt immunitatem ecclesiasticam, dissolvunt nervum ecclesiasticæ disciplinæ, eliminant visitationes canonicas et obedientiam extinctivè, (præscriptivè enim visitatio ab uno Prælate ad alterum transferri potest, *c. 16. de præscr.*), aut alio modo obsunt bonis moribus, veritati, ac bono publico, de quibus passim in jure sermo redibit, (*c. 3. et seqq. de 8. C. 1. et 2. d. 12. c. 3. 5. h. t.*) In dubio de honestate consuetudinis, si hæc est præter legem, statur pro ea, quia est in possessione ex consensu populorum: si verò est contra legem, statur pro lege, quia honestas et rationabilitas legis est certa, et pro se habet possessionem certam.

60. Q. VI. *An consuetudo probanda sit ab allegante?*

R. 1.<sup>o</sup> Si notoria est, non indiget probatione, sicut in Germania lactiniis vesci die jejunii, missas in hyeme celebrare ante auroram, etc.—2.<sup>o</sup> Si notoria non est, probari debet saltèm per duos testes: nam consuetudo est facti, quod etiam sagacissimos fallere potest (*l. 2. ff. de J. et F. l.*); ergo

in foro externo ab allegante probari debet. At pro foro interno sufficit unus excellens scriptor testificans in scriptis suis de tali consuetudine, dummodo tales concurrant circumstantiæ, ut de ejus fide dubitari non possit, et alii DD. validius ei non contradicant; licet aliòquin unus doctor in foro externo plenè non probet, sed solam præsumptionem faciat.

61. Q. VII. *An consuetudo abrogari possit per legem, vel consuetudinem contrariam?*

R. Affirmativè, (*arg. l. fin. ff. de constitut. prin.*), quia jura posteriora contraria derogant prioribus. Particularis tamèn consuetudo non revocatur per legem, nisi id sufficienter exprimatur, (*c. 1. de Constit. in 6.*)

Hactenus de principiis generalibus Juris Canonici; nunc de personis ecclesiasticis, ut promovendis ad dignitates per viam postulationis, electionis, etc.

## TITULUS V.

### DE POSTULATIONE PRÆLATORUM. <sup>a</sup>

62. Nota I. Provisionem beneficalem in genere esse actum seu modum promovendi personam idoneam ad ministerium Ecclesiasticum. Hujus celebriores species sunt: *simplex petitio*, *nominatio*, *præsentatio*, *collatio necessaria* seu *institutio*, *collatio libera*, *postulatio*, *electio*, *translatio*, et *renunciatio in favorem alterius*.—*Simplex petitio*, olim usitata, est supplicatio populi poscentis sibi dari aliquem in pastorem, (*can. 11<sup>o</sup> etc. d. 63. c. 6 de stat. monach.*). Hodie non est in usu.—*Nominatio sollemnis* et propriè talis est, qua v. g. princeps tali jure præditus, saltèm duos excellentiores designat, et proponit Superiori, ut is unum eligat, et Ecclesiæ præficiat. Dignior autèm ex his ille censetur, qui primo loco ponitur (*arg. c. 6 de V. S.*) Hac tamèn nominatione nullum jus nominato acquiritur, donè Superior unum ex nominatis eligat. *Nominatio consultoria*, qua in collegio proponuntur quidam boni viri, ut de illis scrutinium fiat, non est obligatoria, sed capitulares alium eligere possunt (*cap. 28 de elect.*)—*Præsentatio* est actus, quo patronus clericum idoneum præsentat Superiori, ut cum in beneficio instituat. De hac agitur *lib. 3 tit. de jure patron.*—*Collatio necessaria* est provisio facta clerico ex necessitate juris ad alicujus nominationem, præsentationem, electionem, permutationem, vel mandatum Superioris—*Collatio libera* est gratuita concessio beneficii vacantis à legitimo Superiore facta. De his collationibus agitur *lib. 3 de præb. et institut.* De ceteris speciebus in hoc libro agetur.

Nota II. Postulationem hic non accipi pro *accusatione*, uti accipitur l.

<sup>a</sup>—De hac materia agitur in Sexto, et Extrav. com. h. t.—In Decreto can. et seqq. d. 61 et c. 14. d. 63 et c. 5. d. 71.